

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*

DISPUTATIO XII.  
EXERCITATIONVM ETHICARVM

De  
**IUSTITIA ET  
IVRE.**

Ex libro V. Ethicorum Nicomachio-  
rum desumpta

Quam  
DEO DVCENTE ET DOCENTE

*In Illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE  
M. HENRICO VELSTENIO PHILOSO-  
phiæ moralis professore Publico defenden-  
dam suscipiet

DANIEL ZANGERVVS  
Witebergensis,

7. Septembr. horis locog, consuetis.

Ovid. l. 1. Metamorph.

*Victa jacet pietas, & virgo cade madentes  
Ultima cœlestium terras Astrea reliquit.*

WITEBERGÆ,  
Typis Mullerianis Anno 1607.

VIRIS  
CLARISSIMIS;  
CONSULTISSIMIS

juxta ac excellentissimis,

Dn. BARTHOLOMAEO REVSNERO, &  
Dn. LVCAE BECKMANNO J. V. DD.  
& in Electorali Academia Witebergensi  
Professoribus publicis.

Nec non

*Spectatissimo, Consultissimo, prudentissimoq;  
Viro,*

Dn. HENRICO EVTHROTE N in illustra  
civitate Weissenfels / Camerario praestantissimo  
dignissimoque,

*Dominis Affinibus, Patronis & Meccenatibus debita obser-*

*vantia cultu perpetim venerandi.*

S. P. D.

*S*omite Fautores, adfines, atq; Patroni,  
Quae mea dat tenui, queso Camena stylo.

*Sufficit exiguis concessum prodere lucrum;*

*NON IN MOLLI, sed est in bonitate charis*

*Ardua materies est dantis & ampla, feraxq;*

*Digna q; qua veniat nobiliore satu.*

*JUSTITIAE JURISQUE thronum defendere conor*

*Vu quantum exigui sufficit ingenij.*

*Laudi in hio nulli: modo gratia vestra favorq;*

*Amplexu foveat me teneatq; suo.*

*Quod precer, ulterius nihil est: hoc adprecor unumq;*

*DET DEUS et aatem, cetera cuncta dedit.*

Ex. V.

*studiofissimus.*

*Daniel Zangerus VViteberg.*

## CONTINUATIO.

**H**ic sic haecenus in templum istud nostrum Ethicum decem illas virtutes morales intromisimus: Succedit jam Dea & Regina ista virtutum omnium, justitia videlicet, quam & ipsam intromittere, & intromissam pro dignitate excipere, jam maximè nostrarū erit partitū. Jube- mur hoc ab ipso Coriphaeo nostro Aristotele, qui hanc omnium praestantissimam virtutem eo loco habuit, ut ei pertractanda inte- grū librū consecravit. Neq; immeritò: siquidem haec ea est virtus, de qua rectè quondā dixit Eurypides, cam os aureū habere, neque Luciferum tantam sui admirationem concitare. Ex hoc factum jam est eritum sermone proverbium: Iustitiam in se- se omnes continere virtutes: (Hieronym. ad Demetriadem) Haec enim, ut Cicero ait, hominum societatem inter ipsos, & quasi vi- ta communitatem continet, in hac virtutis splendor est maxis- mus: ex hac una viri boni nominantur: nulla civitas, nullus ho- minum cetus, nulla communitas sine justitia esse potest: imò ve- rò neq; latronum, neq; improbiſsimorum hominum conventicula, nisi justitia aliquo vinculo colligantur, nullo modo diutius con- sistere possunt. Haec una honestè vivere, alterum non ledere, suum cuiq; tribuere docet: ab hac initium est perpetua commen- dationis, fama, sine quā nihil omninò potest esse laudabile; haec est legum omnium, jurium, institutorum, decretorum, conven- tionum, federum, pactorum fundamentū, ut qui justitiā conte- mnit, nullo penitus humanitatis jure cum alijs sociari possit. Omninò ergò opere precium facturi sumus, si & hac vice ad hanc DEam excipiendam, eamq; studiosissimè contemplandam, omnino animi nostri alacritatem & celeritatem accommodemus.

### THESIS I.

Ex definitione omnis instituenda dissertatio. Aristot. 3. Metaph. c. 8. 7. Topic. c. 3. 8. Top. 8. Scal. 3. de re poët. c. 30. Schec. 8.

A 2

Top.

Top. p. 1159. quia est ἀποδείξιμος ἄρχη ad sciendum πρότασις immediata,  
anchorarum omnium firmissima, rerum aliarum omnium mensura, quibus elo-  
gys eam Philosophi passim ornant. Arist. 2. post. c. 14. 2. Metaph. 3. Plato in  
Phædro Scal. 1. de plantis p. 210. Exerc. 301. f. 1. Piccol. de rerum defi-  
nit. c. 9. quin ergò & nos hic à definitione ordiemur.

2. Sit ergò talis: δικαιοσύνη ἐστὶν ἕξις ἀφ' ἧς πάντες οἱ ἄνθρωποι  
δικαίως εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγῶσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια, hoc  
est, Justicia est habitus, quo homines apti redduntur ad agendum  
ea, quæ justa sunt, eademque etiam agunt & volunt. 5. Ni-  
com. c. 1.

3. Hæc Philosophi definitio est: in qua ne alicubi hæreas  
omnes illius copias ad unam educemus, & de definito primum  
acturi (partim quia nomina demonstrant voluntatem dicentis, Celsus l. La-  
beo ff. de suppel. legat. partim quia nomina rerum nota sunt, Scal. 13. de  
causis Ling. Lat. c. 136. Ramus l. 1. Dial. c. 24. à quarum usu provehi sole-  
mus in rei perceptionem, Scal. Exerc. 1. f. 1. Camerar. in l. 6. Nicom. c. 10.  
p. 293.) ejus cum notationem subjungemus, tum ab æquivocatione  
liberabimus.

4. 1. Quoad notationem vocabulum justitiæ ab objecto huius virtutis  
nempe à iure originem suam traxisse consentaneam est, quia ius sua natura pri-  
us est hac virtute, cum omne objectum suâ natura sit prius habitu, vi-  
de infra quæst. 1. τὸ δίκαιον verò Aristoteles deducit ἀπὸ τοῦ δίκου quasi  
δίκαιον, quòd in duas æquales partes rem scindat, neutri parti plus minusve  
rata proportione tribuens. Exinde etiam δικαστὴν dici putat, quasi δίκαστὴν  
bipartitorem. Arist. 5. Nicom. c. 4. *Nil uolens de deo.*

5. 2. Quoad ambiguitatem vocabuli, à varijs variè illud accipi-  
tur. I. Generaliter etiam ipsis feris attribuitur: unde Ælianus l. 2. de  
Animal. c. 8. Delphinos vocat iustos eo quòd venationes piscium inter se ita  
partiantur, ut maiorem prædæ partem ei relinquunt, qui capture causa fuit.  
Ita etiam meminit iustitiæ Leonis l. 5. c. 39. II. Pro justitiâ Theologi-  
ca, tum legali tum Evangelicâ, de qua profundum silentium apud Philosophos.  
III. Pro eo officio, quod defunctis exhibetur. Unde iusti dicuntur,  
qui defunctis iusta persolvunt. IV. Pro æquali prædæ distributione,  
quæ etiam inter prædones cernitur. Cic. 2. off. V. Justitiâ intelligitur  
ea, quæ in communi hominum inter se societate cernitur; qua in si-  
gnificatu etiam hoc loco accipitur.

6. Succedit jam ipsa definitio, in quo & genus & differentiam  
notabimus.

7. Generis loco ponitur habitus, *id est non proximum, sed intermedium & generis vernaculi genus est.* Nam iustitia proxime est virtus moralis, qua per habitum intelligitur.

8. Differentia triplex assignatur. 1. Est ἡ δυνάμειος facultatis, quod nempe per iustitiam homines idonei sint ad iustas actiones, id est, habeant vim & facultatem agendi ea quae sunt iusta.

9. 2. Altera est τῆς πράξεως Actionis: Nempe quod non sufficiat ista agendi promptitudo & facultas; Sed quod & in actum ea sit producenda. Omnis enim virtutis laus in actione consistit. Cic. 1. Offic. Neg. virtutes sunt ociosae qualitates in homine quasi latenter delitescentes; sed in ipsum actum prorumpunt: adeo ut minime omnium iste laudem mereatur, qui quidem instructus est facultate agendi illud, quod est rectum & honestum nisi etiam agat illud. 2. Nicom. c. 3.

10. 3. Tertia denique est τῆς βούλησεως voluntatis: quod nempe homines per iustitiam velint, hoc est, eligant & expetant ea, quae sint iusta: siquidem in omni virtutis actione voluntas, quae peculiari nomine προαίρεσις appellatur apprimè est necessaria. 2. Nicom. c. 4. & 6.

11. Atque hanc ob causam I Cti. in iustitiae definitione voluntatis expressam faciunt mentionem, quod nempe ea sit constans & perpetua voluntas, suum cuique ius tribuendi. l. 1. institut. tit. 1. ff. de iustitia & iure. Et hinc Plutarchus in vita Catonis ait: iustitiam & iniustitiam ideò praeter ceteris virtutibus & vitijs magis solere laudari & vituperari. quia praecipue à voluntate hominis proficiuntur, & non ex aliquo affectu aut perturbatione. Et tantum de definitione.

12. Cæterum: iustitia ab Aristotele duplex constituitur: Universalis & particularis 5. Nicom. c. 1. vide quaest. 3.

13. Universalis iustitia est, cujus beneficio omnibus legibus obedientiam praestamus, ut ex earum praescripto reliquas omnes virtutes colamus. Vnde etiam ab Aristotele δικαιοσύνη νόμιμη & appellatur 1. Nicom. 1. cap.

14. Nihil verò adeò discrepat iustitia à virtute morali, generatim sumptá, nisi quod hæc habent tantum persicit, sicque proprium eius bonum est: iustitia autem vim & bonitatem suam etiam ad alios extendit: qua ipsa etiam de causa ab Aristotele ἀλλότριοι & γὰρ, hoc est, bonum alienum dicitur. Arist. 5. Nicom. c. vide infra quaest. 4.

15. Possunt enim virtutes morales bifariam considerari. 1. Ut meri & puri habitus sunt, qui voluntatem & appetitum sensuum in possessio-

foribus suis perficiunt, quæ ratione quidem propriè virtutes morales appellantur & proprium habentis bonum atq; decus sunt. 2. Ad alios referuntur & bono publico aliquod subsidium & emolumentum conferunt: quæ ratione nomen universalis iustitiæ induunt, & bonum sunt alienum. Goclen. quæst. Ethic. 85.

16. Objectum hujus iustitiæ universalis est jus ipsum, (de quo infra) vel  $\tau\acute{\alpha} \delta\iota\kappa\alpha\iota\acute{\alpha}$ , h. e. iusta: vel quod idem est, omnes virtutum actiones, quatenus legibus præcipiuntur, V. g. actiones forte, liberales, temperatæ &c. quæ in se & per se consideratæ à suis virtutibus denominantur, & vel temperatæ vel fortes vel liberales dicuntur. Consideratæ autem ut à legibus iubentur, & ab animo legibus obsequendi cupido suscipiuntur & perficiuntur, iusta potius, quàm vel fortes, vel temperatæ, vel liberales &c. propriè nuncupantur. Ex præced. thes.

17. Hujus iustitiæ officium est, cum omnes virtutes morales suo ambitu complectatur, verum earum usum demonstrare, non solum, quomodo nos erga nos gerere debeamus; sed imprimis, quomodo in negotiis publicis sit versandum, ut scilicet non tam privatim quàm publicum bonum ob oculos habeamus, iustitiæ enim foras spectat, & totam se ad alienas utilitates porrigit atq; explicat. Cic. 2. de repub. Et vir iustus non tam sibi quàm alijs laborat, Polit. c. 6. & 3. Polit. c. 8.

18. Atq; ex hisce facilè apparet, cum bonum multis commune privato sit præstantius: cumq; multo difficilius sit, virtutem etiam publicè erga alios, quàm privatim tantum erga semetipsum, exercere; universalem iustitiæ alijs virtutibus moralibus, quæ privatim tantum habentis bonum sunt, nec se ad commune bonum porrigunt, longè præstantiorem & difficiliorem esse. Aristot. 5. Nicom. c. 1.

19. Hujus virtutis nomine quondam celebres fuerunt Minos Rex Cretensium & Rhadamantus eius frater: item & Æthiopes, quorum ædes ianuis carebant, & cum in via multa jacerent, ea tamen nemo furabatur. Stob. serm. 24. Trojanus Imperator etiam ob iustitiæ & humanitatem ita charus fuit populo Romano, ut quoties deinceps crearetur Imperator, omnes acclamarent: sis felicior Augusto, melior Trojano: Is præfecto prætori gladium tradens, si bonus, inquit, fuero, pro me: si malus contra me utitor. Antiochus tertius Asiæ Rex omnibus regni sui urbibus scripsit, si quid in regis mandatis adversum legibus esset, ne obsequerentur. Fulg. l. 6. c. 5. Itq; Themistocles Simonidi potenti, ut amico, sed in causa iniusta patros



*patrocinaretur: Neque inquit, tu bonus poeta eras futurus, si præter  
Musicae modulos caneres: neque ego princeps bonus, si legem &  
justitiam violarem. Plutarch. in apophth. Græcorum. Sic Titus  
Vespasianus cælum suspiciens sibi immerenti vitam querebatur eripi, quod  
per omnem vitam nihil fecisset cuius pœniteret, unico saltem ex-  
cepto, quod tamen quale fuerit, non satis constat. Sueton.*

20. Pugnancia cum justitia universalis sunt omnium virtutum  
moralium extrema, modum tam superantia, quam deferentia,  
quatenus ad bonum publicum minuendum, aut quocunque mo-  
do labefactandum referuntur: *quæ quidem universa uno iniustitia uni-  
versalis, aut ἀνομιὰς nomine, comprehenduntur. Vel brevius: Opposi-  
tum justitiæ universalis est iniustitia universalis, quæ est vitium,  
quo non præstatur obedientia legibus, atque adeò turbatur huma-  
na societas Kecker. l. 1. System. Eth. c. 4. Vide quæst. 5. Et hætenus  
de justitia & iniustitia universalis.*

21. Justitia particularis est virtus in distributione ac communi-  
catione rerum mediocritatem servans.

22. Differt ab universalis justitia. 1. Ut pars à toto: *Illam enim  
hanc sub se complectitur. 5. Nicom. c. 2. Magirus p. 444. 2. Extremis:  
Universalis enim iustitia ἀνομιὰς legum violatio: huic verò πλεονεξία avi-  
ditas opponitur. 3. Objecto: Quia iustitia universalis versatur circa  
omnium virtutum objecta. Vide thes. 15. Objectum autem particularis iusti-  
tiæ sive præcipue objecta externa nempe honores & opes. 4. Universalis  
justitia est longè præstantior, quam hæc particularis.*

23. Objectum hujus virtutis sunt bona externa, quæ in fortuna  
demeritate posita sunt, & in quibus expetendis possumus modum excedere &  
peccare. Itaque non versatur circa bona animi. 1. Quia in illis  
expetendis non possumus peccare. 2. Quia non possumus ea alijs ita tri-  
buere, ut propterea iniusti efficiamur. Aristotel. 5. Nicom. c. 1. Magi-  
rus p. 451.

24. Bona verò ista externa dupliciter considerari possunt.  
1. ἀπλῶς: & tunc semper secundum se & sua naturam sunt & dicun-  
tur bona, quatenus nimirum à DEO sunt creata, & in usum ho-  
minum concessa. Vidit enim DEVS cuncta quæ fecerat, &  
erat

erant bona valde. Gen. i. v. 31. 2. Respectu hominum: & tunc non semper, nec simpliciter, nec omnibus sunt bona, sed quodam modo οὐδὲτερον, hoc est, nec bona nec mala, nisi quatenus homines, vel bene vel male illa utuntur. Arist. l. d. Magirus p. 431. Gocl.

25. Finis hujus justitiæ est æqualitatem in distributione vel communicatione observare.

26. Opponitur ei cum in excessu, tum defectu injustitia particularis: ubi quidem utriusq; extremi unum nomen est, res tamen duplex: Dum enim uni plus æquo datur, alteri minus æquo distribuitur: atq; ita & in excessu & defectu peccatur. 5. Nicom. c. 8.

27. Est verò ista injustitia particularis vitium in rerum externarum distributione vel commutatione mediocritatem violans. Donald. l. d.

28. Cæterum justitia particularis duplex est δὴνεμῶν distributiva: & commutativa σωἀδικῶν sive Correctiva διορθωτικῆ. 5. Nicom. 2. (Atq; hac justitiæ divisione Aristoteles totam humanam societatem complecti voluit, qua in his duobus consistit, nempe in personarum ordinatione & rerum communicatione, sicuti etiam Jcti totam doctrinam juris dividunt in personas & res, circa quas omnes actiones & cause forenses versantur.)

29. Justitia distributiva est, quæ in distributione bonorum vel malorum externorum rationem habet, & dignitatis personarum & æqualitatis rerum, ut singulis pro eorum merito suum tribuatur. 5. Nicom. c. 2.

30. In hac justitiæ specie notanda veniunt tria. 1. Objectum 2. Personæ, quibus competit. 3. Proportio, quæ hic locum habet.

31. 1. Objectum sunt. 1. bona & mala externa, nempe honores, dignitates, præmia, pecunia, officia, labores, pœnæ castigationes, supplicia & his similia, Ex præc. 1b. 23. 2. Deinde personæ, quibus bona illa secundum illarum meritum & ἀξίωσιν distribuenda.

32. 2. Personæ ut plurimum sunt illæ, quæ publicum aliquod munus gerunt: quales sunt magistratus, paterfamilias, Præceptores &c.

33. 3. Proportionem quod attinet vocabulo ex rebus Mathematicis ad res Ethicas translato duplex est: Geometrica & Arithmetica. Geometrica quando non nudè nec absolutè spectatur rerum æqualitas, sed certo quodam discrimine, circumstantiarum sive certo quodam respectu personarum, quibus aliquid tribuendum est, aut rerum, quæ tribuendæ sunt. Arithmetica proportio in qua nuda & sim-

& simplex spectatur æqualitas sive convenientia rerum & personarum sine ullo discrimine status aut dignitatis in personis, aut etiã circumstantiarum in rebus, v.g. cum colaphus impactus rustico par habetur colapho quem impingimus principi, hæc est proportio Arithmetica: Cum autem colaphus quem impingimus rustico non habetur par isti colapho, quem impingimus principi, tunc servatur proportio Geometrica. Nam etsi æque gravis fuerit uterq; colaphus: tamen servandum est discrimen personarum, quibus colaphus est inflictus, Kecker. l. d. p. 243. Prior illa proportio locum habet in hac specie iustitiæ, distributiva videlicet: posterior in commutativa, de qua paulò post.

34. Est verò hæc proportio in hac specie necessariò observanda: quia civitas ex varijs hominum generibus est composita, non ex mercatoribus aut sartoribus tantum: idcirco cum non sit eadem eorum dignitas, iustitiæ distributiva munus erit, res & personas inter se comparare & sic distribuenda partiri, ut equalia equalibus, inæqualibus inæqualia tribuat, Arist. l. d. Kecker. p. 248 Donald. p. 222. Comparatio verò ista personarum & rerum distribuendarum, vel fit separatim vel conjunctim, Kecker. l. d. Donald. l. d.

35. Separatim cum singuli termini inter se comparantur. V. persone cum personis, ut consul cum pratore: res cum rebus, ut consulatus cum pratura: persona cum rebus, ut consul cum consulatu & pratura; & prator cum utroq;. Item res cum personis, ut consulatus cum pratore. Atq; hic iustitiæ rectè suis desinetur partibus, si personis dignis digna etiam assignet officia & singulorum merita debito modo remuneretur. Donald. l. d.

36. Conjunctim, cum totum cū toto, h. e. simul & persona & res cum alia persona & re comparatur, v.g. In spoliis distributione persona duci cum militibus persona est comparanda & pro ratione spoliis plus duci quàm militi, & plus militum huic quàm illi tribuendum, prout quiq; meritis & rebus gestis excelluerit. Vide Gellium l. 5. c. 6.

37. Ad hanc iustitiæ distributivam etiam jus illud Talionis reducimus, de quo Philosophus 5. Nicom. c. 5. Quia. n. pœnæ ad hanc iustitiæ speciem referuntur (quas tamen etiam suo respectu ad commutativam iustitiæ referri posse non imus inficias) idcirco & hoc ius ad eandem pertinebit: Siquidem scriptura sacra, hoc ius semper ad pœnas refert. Keckerm. l. d. p. 245.

38. Est autem talio sive jus talionis vel simplex vel analogicum.

39. Talio simplex seu Pythagorica est, quando quis id, quod alteri fecit, simpliciter sive eodem modo patitur. Atq; hanc talionem ex hoc loco etiam quovis terrarum exulatum ire iubemus; quia non semper potest fieri, eiusmodi equalis retributio, cum in hac iustitia sit habenda ratio personarum, & quidem proportio non identitatis, sed similitudinis, ita ut dignitas personae, quae aliquid passa est, debeat in comparationem venire cum eo, qui fecit. Arist. 5. Nicom. c. 5.

40. Analogica seu proportionalis talio est, quae reducitur ad certam aequalitatem secundum proportionem personarum & rerum. Atq; haec Talio cum nihil sit aliud, quam compensatio & retributio tam bonorum quam malorum facta proportionaliter; ideo valde necessaria est in humana societate. Sublata enim bonorum retributione & malorum vindicta, existeret omnium rerum confusio & feda servitus. Arist. l. d.

41. Tantum de distributiva: Commutativa iustitia est μέσος ἢ ζυγία ἢ ἡμίσεος μέσος medium inter damnum & lucrum. Seu est, quae in contractibus & rerum commutatione, nullo habito personarum respectu eam servat aequalitatem, ut suum quisque consequatur, & nulla pars defraudetur. Arist. lib. 5. Nicom. c. 2.

42. Dicitur ab Aristotele σωφροσύνη καὶ ἀντιμεταβολή commutativa & διορθωτική correctiva, quod rerum mutationem ita corrigat, ut neutra pars habeat, quod possit, vel de nimio gloriari, vel de nimio parvo conqueri: vel quia ad iudicem decurritur, cum iniusta permutatio facta est, qui reposita personarum dignitate, ita res inter se comparat, ut omnis inaequalitas corrigatur. 5. Nicom. 2. & 4.

43. Differt autem à distributiva. 1. Objecto, quod hic quidem est commutatio rerum privatarum, vel etiam res omnes de quibus homines inter se contrahere possunt; istuc vero bona & mala externa. 2. Subjecto: quia haec ut plurimum privati competit; illa autem publicis. 3. Proportione: Quia hic Arithmetica est; istuc vero Geometrica v. g. In iustitia distributiva consuli aut senatori maior honor exhibendus est, quam plebeio alicui homini: hoc enim requirit proportio Geometrica, sed non propterea in permutando, ut in emendo, vendendo & similibus contractibus, consuli vinum vel frumentum minori precio vendendum est, quam vel homini privato. Vide Thef. 33. Donald, p. 225. Magir.

44. Est autem haec Arithmetica proportio in hac iustitiae specie omnino necessaria: quia nullus hic, ut dictum, personarum respectus habendus est, sed tantum ad res commutandas attendendum, ne in illis sit magis & minus lucrum & damnum. 5. Nicom. c. 4.

41. Ut

45. Ut verò hæc Arithmetica proportio rectius observari possit, duo hic in primis erunt tenenda. 1. Modus. 2. Media. 3. Nico. c. 5.

46. 1. Modus consistit in rerum inter se collatione, ut quantò una alteram dignitate & pretio superat, tantum in excessu, vel defectu ex utraque parte compensetur, v. g. si frumentum permutandum est, cum vino & agricola dat duodecim saccos frumenti, quorum singuli valent duobus florenis: idcirco etiam vitior agricola debet dare tantum vini, cuius precium respondeat precio frumenti. Atq; in hisce contractibus nullus personarum attenditur respectus, cuiuscunq; etiam sit status & conditionis.

47. Proinde hoc nomine merito commendatur Q. Mutius Scævola, ut refert Rutilius in eius vita: qui cum aliquando fundum emere vellet, & precium nominari petisset, & id precium venditor indicasset, dixit se pluris aestimare, addiditq; centum millia. Vnde patet, quod iustitia opus & κατὰ τὸν δίκαιον sit, si venditor fortè minoris aestimat, quàm debebat, ut nos ipsi sponte nostrà plusei demus, nempe tantum, quantum aestimare debebat ex iustitia. Eodem elogio Stobæus serm. 24. commendat populos Thurianos apud quos & emptor & venditor cogebatur publicè iurare apud magistratum: venditor quidem, quòd non pluris aestimaret, quàm debebat; emptor quòd non plus daret, quàm debebat.

48. 2. Medium seu instrumentum, & mensura per quam exercetur iustitia commutativa, vel est τῆν φύσιν ex natura, vel ἡτὶ σιωδίκαιον ex instituto hominum. 5. Nicom. c. 5.

49. Medium pendens à natura, vel est primarium vel secundarium. Kecker. l. d.

50. Primarium est diversitas terrarum & nationum atque adeò indigentia & usus rerum in diversis populis. Tantò enim preciosiores res qualibet habenda est, quanto magis per naturam eà re homines indigent, & quanto magis necessarium præstant usum. Kecker. l. d.

51. Atque hæc prima mercaturæ exercendæ occasio fuit: Cum enim diversis locis homines viverent, nec singula ad vitam necessaria in singulis gignerentur, commercia fuere instituta Donald. p. 227. Vnde patet mercaturam ex jure naturæ ortam, deinceps jure omnium gentium esse confirmatam.

52. Secundarium medium est annona publica & mercatorum iniquitate non corrupta. Talis enim annona sive publica aestimatio mercium proximi à natura h. e. ab indigentia pendet.

53. Medium pendens ex hominum instituto est Nummus, cujus beneficio omnes res metimur. 5. Nicom. c. 5.

B 3

54. Num-

54. Nummi autem usus insigniores Philosophus l. d. hocce potissimum recenset.
55. 1. Succedit in locum indigentiae: etenim nos quando indigemus eâ re, quâ alter nobiscum permutare cupit, tum eius loco conferimus nummum, ut possimus accipere rem eam, quâ nos indigemus: & ille vicissim si nostra aliqua re indigeat, potest eam à nobis sibi comparare per eundem nummum.
56. 2. Sponsoris vices subit, & venditori pro emptore spondet, ut si rem nobis necessariam, hys superfluum, nobis concedat, nos eodem mediante eius necessitatibus pro facultate subventuros.
57. 3. Contractus conservat, ut cum per eiusdem generis res aut etiam diversas fidem exsolvere non valeamus, per nummum hoc possimus.
58. 4. Hominum inter se societatem conservat. Nam cum singuli plurimâ partim minus, partim magis necessarijs indigeant, nummus ex indigentia & copia vel inopia certum in genere precium hys imponit: atq; ita hominum inter homines societatem fovet & tuetur.
59. Cæterum hæc iustitia commutativa subdividi potest in eâ, quæ versatur circa contractus spontaneos, & eam, quæ versatur circa contractus invito. s. Nicom. c. 2.
60. Contractus spontanei seu voluntarij sunt, qui fiunt inter consentientes & volentes; sive quorum principium est in utraque parte contrahentium.
61. Tales sunt. 1. Emptio & venditio, per quam interveniente precio dominium alicuius rei transfertur ad alterum: nec habet emptor jus aut tempus ullum repetendi pecuniam. Si enim repetere pecuniam liceret, mutatio esset non emptio.
62. 2. Mutuum: cum ita rem aliquam ab aliquo accipimus, ut similem specie & valore restituamus. Vnde etiam Icti dicunt, idem reddendum esse substantia, quantitate & qualitate. Dicitur verò mutuum, quia meum fit tuum: quia per mutationem etiam dominium ad alterum transfertur.
63. 3. Sponsio seu fidejussio, per quam fidem nostram ad alienam promissionem obstringimus, ea conditione, ut, si is, qui promissit, non præstiterit, nos ad præstandum sumus obligati. Qui enim spondet certo se implicat periculo Syr. 20. cap.
64. 4. Commodatum: quando rem aliquam ad usum nostrum ab aliquo accipimus & postea eandem numero & qualitate reddimus.

Depo.

65. 5. Depositum : cum per aliquam alterius fidei committimus, ea facta conditione, ut eam nobis petentibus restituat.

66. 6. Locatio & conductio : quando usum alicuius rei, mercede interveniente, alteri ad certum tempus concedimus.

67. Inviti contractus sunt, qui fiunt inter nolentes & ignorantes, seu quorum principium non est in utraq; parte contrahentium : (Dicuntur inviti non ratione agentis, qui in illis sponte & sciens agit ; sed ratione patientis, cui per istiusmodi contractus vel ignoranti vel invito fit iniuria.)

68. Sunt verò vel clandestini vel violenti.

69. Clandestini, qui fiunt nobis planè ignorantibus, ut furtum, adulterium, lenocinium, prostitutio filia vel ancilla, servorum seductio, dolose caedes, testimonium falsum. Arist. l. d.

70. Violenti sunt, qui quidem fiunt nobis scientibus, sed tamen præter nostram voluntatem, ut sunt flagellatio, vinculum, raptus, mutilatio, convitium, ludibrium seu lasio per contumeliam mors seu interfectio.

71. Cæterum justitiæ commutativæ opponitur Injustitia, quæ vel iniquum precium rebus imponitur, vel minus pro rebus solvitur, quam debebat, aut etiam merces corrumpuntur, aut iniquæ mensuræ & pondera ad merces adhibentur. Seu est quæ uni contrahentiù plus alteri minus attribuit, nullamq; aequalitatis inter damnatum & lucrum penam & delictum rationem habet.

72. De hac iniustitia gravissimè Cicero 3. offic. Detrahere igitur, inquit, aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maximè est secundum naturam humani generis societatem : ut si unumquodque membrum sensum suum haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse est.

73. Exempla ibidem habet Cicero in Cajo Canio, equite Romano à Pythio quodam Syracusano in hortis emendis decepto : & in Publico Calfurno Canario in ædium emptione à Tito Claudio Centimalo similiter deluso.

74. Et tantum de justitia tam universali quam particulari: ea-  
que commutativa & distributiva, jam superest, ut similiter de effe-  
ctu justitiæ, quod jus est, non nihil agamus.

75. Jus est justitiæ effectum, quod in mutua societatis usu recta  
ratio præscribit. Diog. Laert. l. 10. Cic. l. 1. de legib.

76. Dividit hoc Philosophus εἰς τὸ ἀπλῶς δικαίον καὶ τὸ οἰκονομικόν  
πρῶτον in jus simpliciter dictum, quod alio nomine dicitur δικαίον  
πολιτικόν jus civile & in jus secundum similitudinem sic dictum, quod  
alio nomine vocatur δικαίον οἰκονομικόν jus domesticum. Nic. 6.

77. Jus civile est, quod in societate nostra homines liberos &  
æquales, vel proportionem vel numero ad sufficientem rerum neces-  
sariarum copiam colitur, *Ibidem*.

78. Circa hanc definitionem notanda. 1. Appellatio juris civi-  
lis. 2. Objectum. 3. Finis & aliquot hypotheses. 4. *Divisio*.

79. 1. Appellatio juris civilis hic latius sumitur, quam apud  
Istos, qui vel id, quod quisque populus sibi ipsi constituit. Justin. l. 1. Instit.  
tit. 2. §. 1. vel κατ' ἐξοχὴν leges ab imperatore Justiniano congestas hoc  
nomine vocant: idque ad discrimen iuris naturalis & canonici. Aristoteles ve-  
rò jus civile tam late hic definit, ut ejus ambitu etiam jus naturale  
complectatur. Magirus in Eth. pag. 209.

80. 11. Objectum sunt homines liberi & æquales vel secun-  
dum proportionem, vel secundum numerum, inter quos vitæ cō-  
munitas & vicissitudo dominandi, & parendi intercedit, quique  
se mutuo injuria afficere possunt.

81. Sunt autem homines duobus modis inter se æquales. 1. Se-  
cundum analogiam Geometricam, in qua æqualitas spectatur ex digni-  
tate. 2. Secundum numerum: ubi nulla habetur ratio dignitatis, virtutis  
aut aliarum rerum; sed æqualitas tantum spectatur: ut v.g. in Democratia  
sutor aliquis aut textor aut faber tantum valet, quantum nobilis aliquis vel li-  
teratus, aut virtute aliqua præditus.

82. 3. Finis est καὶ ἀντ' ἀρξίας abundantia & sufficientia rerum ad  
vitam sustentandam necessariarum. Donald. p. 233.

83. 4. Hypotheses tres subjicit Philosophus quarum prior hæc  
est. 1. In judicijs cum de jure & justitia disceptatur, non ex homi-  
num arbitrio; sed secundum leges est statuendum. Qui enim legi  
concedit imperium, ille videtur Deo imperium permittere: qui verò soli homini  
imperium concedit, is videtur quasi bestia concedere imperium. Nam affectus  
ani-



animos hominum perturbat & à vero avocat in iudicando. Lex enim caret affectibus. 3. Polit. c. 12.

84. 2. Magistratus non privatum, sed publicum spectabit commodum. Qui enim Reipublicæ præsumunt, inquit Cicero, duo Platonis præcepta tenere debent: unum ut utilitatem civitum sic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant, obliti suorum commodorum: alterum ut totum corpus Reipublicæ curent, &c. ut enim tutela, sic procuratio reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissæ est, gerenda est, Cicero 1. offic. & in oratione de lege Agrar. Idem etiam sacræ literæ monent, Num. 11. Es. 22. Job. 29.

85. 3. Magistratus etiam pro suo labore sua propria debetur merces, nempe honor. Deus enim ipse iubet magistratus honorari tanquam patrem & matrem. Exod. 20. 12. Et Rom. 13. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit &c. Redditur igitur omnibus quod debetur, honorem cui honorem: tributum cui tributum: vectigal cui vectigal. Qui vero magistratus aliquid amplius ex hoc suo officio querit, is efficitur Tyrannus. Aristot. 1. d.

86. 4. Denique hoc jus civile est naturale vel legitimum. Aristot. 5. Nicom. 7.

87. Jus naturale quod ubique gentium eandem habet vim & potestatem, non quia ita decretum vel non decretum. Sed ius naturale est, quod suam auctoritatem habet non ex hominum opinione & instituto; sed ex ipsa natura, quæq; semper in omnibus locis & apud omnes homines eandem habet vim & potestatem. Arist. 1. d.

88. Hujus causa efficiens sunt leges naturæ, quæ sunt notitiæ principiorum practitorum, & conclusionum ex his exstructarum, de regendis moribus, congruentes cum æterna & immota norma mentis divinæ, insitæ nobis divinitus, ut sint testimonia, quod sit Deus & qualis, & regant nos, ut congruat obedientia nostra cum voluntate Dei. Phil. Melan. in Epit. Philos. moralis.

89. Principia verò practica sunt ejusmodi axiomata sive propositiones universales per se notæ & indemonstrabiles, unde conclusiones deducuntur. Cujusmodi sunt: honestè vivendum: turpè fugiendum. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: nemo lædendus: suum cuiq; tribuendum: Quicquid sine detrimento commodari potest, id tribuatur cuiq; vel ignoto, ut sunt comiti monstrare viam, non prohibere aqua profluente, patrem ignem ab igni capere: alterum ne læseris tibi ut prosis: parentes honorandi: pacta servanda: veritas colenda &c.

90. Com.

90. **Conclusiones communes sunt, quas naturalis ratio ex principijs conficit, seu quæ ex principijs per ratiocinationem mentis existunt: Ita quæ è principijs suis demonstrantur, & vi principiorum suorum immutabilitatem obtinent, v.g. Principia practica sunt. 1. iustitia colenda est: nemo efficiendus est malo. 2. Deus est colendus. 3. Æqualitas est servanda. 4. vim vi repellere licet: conclus. inde deductæ sunt. 1. Ergo iustitia adiuvenda procuranda. Non furandum. Non occidendum. Non scortandum. Nihil quo quisquã lædi possit, committendum. 2. Ergo Doctor advocans à cultu Dei non audiendus. 3. Ergo pœnitens debet delicto respondere & iusta malis hæc admissis pro crimine pœna est, ut quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi. 4. Ergo si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela latronum aut inimicorum incidat, omnis honesta ratio est expedienda salutis. Cic. in Orat. pro Milone. Vide disputat. primam thes.**

91. Cæterum juri huic naturali Philosophus I d. tres assignat proprietates.

92. 1. Pertinet ad effectum. quod nempe hoc ius ubiq<sup>3</sup>, & apud omnes eandem vim habeat, ideoq<sup>3</sup> sit immutabile nec abrogari possit. Vide quæst. 7.

93. 2. Pertinet ad causam efficientem: quod videlicet originem suam & auctoritatem habeat à Deo, qui in prima statim creatione hoc quasi æternis characteribus hominum animis impressit. Et proinde valet immediate propter divinam auctoritatem, quia est radius sapientia & iustitia divina, congruens ad normam mentis divine immotam, cuius violationem punit DEVS universaliter propter iustitiam suam, ut punit Cain, Saulem, Davidem, Herculem, Oedipum, & alios violantes ius nature, etiamsi ex manibus ordinariorum iudicum effugerint. Philip. Mel. in Epit. Phil. moralis. Atq<sup>3</sup> exinde D. Paulus vocat hoc ius Rom. 1. v. 17. Veritatem Dei. v. 19. Patefactionem Dei. v. 17. Ius Dei. Rom. 2. v. 15. Opus legis inscriptum in cordibus in ipsa creatione. Vide Chemnitium part. 2. locor. Theolog.

94. 3. Pertinet ad causam finalem: quod nempe hoc ius naturale possimum referendum sit ad honestatem. Est enim hoc ius. nihil aliud, quam lumen mentis nobiscum natum, quo ex nobis ipsis quedam principia  $\pi\rho\acute{\alpha}\lambda\lambda\alpha\sigma\epsilon\iota$  intelligimus absq<sup>3</sup> accedente aliqua doctrina & institutione: & per hoc ius naturaliter possumus discernere bonum à malo: honestum à turpi.

95. Hujus naturalis juris Cic. 2. de Invent. recenset species. 1. Religionem quæ Deo debetur. 2. Pietatem, quæ debetur patriæ, parentibus, cognatis, & omnibus qui parentum loco sunt. 3. Gratiam, quæ debetur bene me-

re merito ad retinendam societatem & vitæ communionem. 4. Vindictam, quæ debetur ijs, qui injuriam faciunt aut nobis aut alijs. 5. Observantiam, quæ debetur ijs, qui nobis sunt superiores, vel ætate, vel prudentia, vel auctoritate vel honore, vel alia aliqua dignitate. 6. Veritatem: quæ debetur omnibus hominibus propter communicationem, quæ fit partim verbis & sermone, partim rebus & factis. De quibus singulis fusius differere non fert præsens ratio nostri instituti. Et tantum de jure naturali.

96. Jus legitimum est, quod à principio quidem nihil interest, utrum sic fiat, an verò aliter: quando verò fuerit institutum, tunc interest. Seu: est, quod non ex natura; Sed ex hominum instituto suam habet auctoritatem: quodq; ante constitutionem neminem; post constitutionem verò omnes obligat, quibus fertur, nec potest impunè violari, 5. Nicom. c. 7.

97. Atque circa etiam definitionem notanda. 1. Appellatio. 2. Proprietates hujus juris. 3. Quædam subdivisiones.

98. 1. Appellatur hic à Philosopho etiam δίκαιον & νόμος, id est, jus humanum: & aliàs dicitur jus positivum, quia ab hominibus positum & constitutum est. Dicitur etiam legitimum, quia legibus descriptum & sancitum est ab ipsis hominibus: atq; hoc præcipue est illud ius quod Icti civile vocant.

99. 1. Proprietates sunt. 1. Quod antequàm lege sancitum & constitutum non est, non habeat vim obligandi hominem, ut illud servare teneatur, sed planè est adiaphoron: at postquam decreto sancitum & confirmatum iam est, sub pœna transgressionis obligat omnes, quibus est lætum.

100. 2. Quod ab hominibus habeat suam originem, & auctoritatem, qui constituerunt illud, adducti probabili aliqua ratione, desumpta vel ex iure naturæ, vel ex aliqua circumstantia. Ideoq; etiam pro ratione circumstantiarum locorum & temporum, non solum mutari potest, sed etiam planè abrogari. Quemadmodum enim mensuræ vini & frumenti non ubiq; sunt æquales: ita neq; positiva sive legitima iura eadem sunt ubiq;. Martyr. com. in Ethic. p. 65. 3. Quod præsupponat honestatem, quam habet ex iure naturali, ac præcipue referatur ad utilitatem eorum, quibus fertur. Ad salutem enim & utilitatem civium, ut inquit Cic. 2 de leg. leges sint conditæ. Et 3. offic. ait: Hoc spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: quàm qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent.

101. Adjunctum juris legitimi est æquitas, quæ est correctio ejus, qua propter suam generalitatem deficere videtur 5. Ethic. Nicom.

100. Seu: Est benigna iuris scripti emendatio in casu, de quo principaliter verba legis non

C

gis non

gi non loquuntur, quam prudens index, ubi legis asperitatem cognoverit, & circumstantiæ postulaverint, semper adhibere debet. Est enim iudex quasi jus animatum, quem oportet habere eam facultatem, ut pro sua prudentia possit decernere & statuere de ijs, quæ legibus non poterunt accuratè definiri. s. Nicom. c. 10.

102. V. g. sit lex quod nullus peregrinus sub pœna capitis murum conscendant; at qui ecce hostes urbem invadunt, signo jam dato ad mœnia peregrinè convolant, conscendunt murum, defendunt urbem, nihilominus tanquam rei capitis accusantur. Si verba legis spectes, sunt condemnandi: si verò æquitatem non laudibus solum: sed & premijs sunt honorandi. Æquitas enim relicta vocis sensum legis querit, eiusdemq; defectum in circumstantijs iuste corrigit. Vir enim bonus non tam verba considerat, quam voluntatem. Et præclare Ictus inquit: Benignius leges interpretandæ sunt, quò voluntas earum conservetur.

103. Dicitur verò deficere lex, non quod in legerectè instituta ullus sit defectus, sed quia generaliter tantum sancit, nec in specie propter negotiorum & circumstantiarum varietatem, quicquam constituat. Æquitas ergo hic subvenit, & in specie exponit, quod generaliter est lege sancitum. Arist. l. d.

104. Extrema æquitatis sunt ἀκριβοῦς καὶ ἰσχυρὸν seu strictum jus: & εὐκοφωσία malitiosa juris interpretatio.

105. Ἀκριβοῦς καὶ ἰσχυρὸν est stricta juris legitimi, sine ulla commoda interpretatione explicatio. seu: est cum leges severe sine mitigatione retinentur, etiam cum propter circumstantiam aliquam erat probabilis ratio mitigationis: Vt cum Manlius Torquatus interficit filium, qui contra edictum cum hoste etià feliciter pugnaverit, ut recitat Livius l. 8. decad. 1. Et narrat Valerius, quendam uno clivo ulterius vectum, cum usus equi ipsi Arctiam usq; fuisset commodatus, furti esse damnatum.

106. De hoc extremo eleganter Augustinus: Nimia iustitia, inquit, incurrit peccatum: temperata iustitia facit perfectos. Salsitudinem correctionis amor Christi temperet, & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat. Et Terentius in Heautont:

Verum illud Chremo

Dicunt: Ius summum, summa sæpe iniuria est.

107. εὐκοφωσία est callida & malitiosa juris interpretatio, fraudandi gratia instituta.

108. Vocant hanc Icti calumniam, cum verba legis in alium sensum

senfum torquentur, quàm à legislatore fuerunt intellecta. Existunt, inquit, Cicero 1. offic. Sape iniuria calumnia quadam, & nimis callida & malitiosa juris interpretatione. Et paucis interjectis: Quo in genere etiam in repub. multa peccantur, ut ille, qui cum triginta dierum essent cum hoste pactedae induciae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non nocturnae induciae.

209. Denique jus legitimum subdividitur in ἔννομον καὶ ἄγραφο scriptum & non scriptum. Arist. 1. Rhetor.

110. Jus scriptum est, quod tabulis seu literis est comprehensum ut propagetur ad posteros.

111. Hujus sex sunt species. 1. Lex. 2. Plebiscitum. 3. Senatus consultum. 4. Principum placitum seu constitutio. 5. Pratorum edictum. 6. Responsum prudentum. Quae species derivantur à suis authoribus seu conditoribus, videlicet populo plebe, senatu, principe, Pratore & prudentibus, de quibus consulenda sunt Institutiones Iustinianea.

112. Jus non scriptum est, quod diuturnus usus comprobavit. Nam diuturni mores seu consuetudines consensu utentium comprobatae legem imitantur.

113. Caeterum utrumque jus tam scriptum quàm non scriptum à Ictis subdividitur in publicum & privatum: Quorum illud ad plures spectat; alterum ad singulorum pertinet utilitatem.

114. Et tantum etiam de iure civili: Jus domesticum est, quod inter unius ejusdemque domus membra, ad domesticorum sustentationem, aut generis propagationem, colitur. 5. Nicom. 7.

115. Estque triplex. 1. Herile, quod inter dominum & servum. 2. Paternum, quod inter parentes & liberos. 3. Matrimoniale, quod inter maritum & uxorem colitur. Et sic haecenus de iure.

116. Juri opponitur injuria, quae est juris violatio, cum à sciente & volente invito alicui præter meritum damnum inferitur.

117. Constituitur verò ab Aristotele duplex: voluntaria & involuntaria, quae tamen improprie injuria vocatur. 5. Nicom. c. 8.

118. Voluntaria rursus triplex est: vel enim 1. Ex ignorantia. 2. vel ex graviore aliqua perturbatione. 3. vel ex malitia proficiscitur.

119. Injuria ex ignorantia profecta est, quando qui læsit, circumstantias Personæ loci aut temporis ignorat.

120. Estque duplex ἀτύχημα vel ἀμάρτυμα: infortunium vel delictum.

121. In fortunium est, quando  $\pi\eta\lambda\acute{o}\gamma\omega\varsigma$  καὶ ἐνὶ κακίᾳ: inopi-  
natò seu præter opinionem agentis, sed casu quodam sine malitia  
injuria infertur. Ita v. g. Cephalus Æoli filius Procrin uxorem in arbusco la-  
tentem sagitta conficit, quod ex motu feram illi suspicabatur.

122. Delictum est quod quidem  $\mu\grave{\iota}$   $\pi\eta\lambda\acute{o}\gamma\omega\varsigma$  non inconsultò,  
sed tamen nec de industria, & ἐνὶ κακίᾳ sine malitia committitur.  
Ut si duo sodales se mutuo exerceant & unus alteri oculum eruat, aut digitum  
amputet.

123. De hac duplici injuria duo hi tenendi canones. 1. Differt de-  
lictum ab infortunio: Quia illius principium est in agente; sed huius extra  
agentem, nempe in fortuna, quia fortuitò & casu accidit, ut homo in sylva esset  
tunc, cum ille telum adversus feram emitteret. 2. Delictum & infortu-  
nium neque justum neque injustum reddunt eum, qui isthæc ad-  
mittit, quia non ex malitia & improbitate agentis proficiuntur.

124. II. Injuria ex animi perturbatione profecta est, quæ ex ira,  
metu, terrore, aut alio quodam affectu infertur.

125. Vbi & hæ notandæ regulæ. 1. Hæc iniuria verius ἀδίκια  
quàm ἀδικία iniuste quidem factum, sed non iniuria proprie dicenda. 2. Pro-  
pter hanc nemo appellandus iniustus, quia non ex certo animi proposito, neq; ex  
malitia infertur. Bene enim Cicero 3. offic. inquit: In omni iniuria per-  
multum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerunq; brevis est, &  
ad tempus: an consultiè & cogitate fiat iniuria. Leviora enim sunt ea, quæ re-  
pentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ præmeditata & preparata infe-  
runtur.

126. III. Injuria ex certo animi proposito illata est, quando quis al-  
terum de industria & consultò lædit: quæ & proprie injuria di-  
citur.

127. Huius tria sunt requisita, 1. Ut invito inferatur. 2. Ut qui in-  
fert sciens & volens inferat. 3. Ut præter meritum patientis id fiat.  
Et tantum de injuria voluntaria.

128. Involuntaria injuria est duplicis generis: venialis vel nõ  
venialis. §. Nicom. c. 8.

129. Venialis est, quam homines non tantum ignorantes, sed  
etiam per ignorantiam committunt. I. d.

130. Non venialis est, quam homines cõmittunt non per igno-  
rantiam, vel affectum aliquem: sed ignoranter committunt.  
Aliud enim est ignoranter agere, aliud per ignorantiam.

131. Ignor-

131. Ignorans agit, qui licet in actione producenda sit Ignarus; tamen ignorantia illa non est præcipua causa malæ actionis; sed aliud quid, quod ignorantiam istam induxit v.g. Homo ebrius inter pocula tumultuatur, contumelias dicit adversus intimos etiam amicos, arcana sua revelat, & multa alia, quæ sobrius nunquam faceret. Atq; hæc & similia facit ignorans: sed tamen non ignorantia est vera & propria causa harum actionum; sed ebrietas, per quam illam ignorantiam accersivit.

132. Per ignorantiam verò agit, cui sola ignorantia est causa malæ actionis. v.g. Noah ignorans vim vini istius Armenici, inebriatus nudus iacet in tentorio. Item Jacob à socio Labano deceptus dormit cum Lea sorore sponsæ suæ, quam in tenebris non poterat agnoscere. Vide disputationem nostram IV. de principijs actionum humanarum. Nunc ad quæstiones nos convertimus.

---

## Quæstio I.

Vnde dicatur justitia.

Non capitis hæc liticula est: ideoq; neq; nos hæc multi erimus. Aitnis supra th. 4. vocabulum justitiæ ab objecto suo à jure originem suam traxisse: quòd nempe ea vim sistat: quòd in ea jus sistatur: quòd sit juris status. Alciat. tit. 1. Instit. Hoc om. c. foris de verborum signific. & Novel. 69. Donell. l. 1. comm. de l. civili c. 4. Alij justitiam dictam volunt à justo sicut malitia est à malo. Jus enim à jubendo dicitur, quasi iussum. Alij contra justum à justitia derivant.

Pro decisione notandum. 1. Priorem Etymologiam veram esse, si rem spectes; falsam verò, si vocem. 2. Distinguendum esse inter logicam & grammaticam notationem. Grammaticè enim dicitur justitia à iusto; Logicè verò iustum dicitur à iustitia. Iustitia enim forma est, à qua denominatur iustus & causa est, cur sis iustus. Gock. in Instit. Log. l. 1. c. 4.

## Quæstio II.

An justitia definienda ex solis justis & non etiam ex contrarijs injustis?

C 3

Affirma

*Affirmativa videtur hoc simili posse stabiliri: quia relique artes, scientia & facultates per contrarias actiones defini solent. 5. Nicom. c. 1. At qui similia idem iudicium.*

*Patet hoc inductione. 1. Iurisprudencia definitur scientia iusti & iniusti. 2. Rhetorica facultas persuadendi & dissuadendi: Orator enim utrumque prestare debet. 3. Medicina est scientia vitati & morborum salubrium & insalubrium. 4. Dialectica, instrumentum disputandi in utramque partem affirmando & negando. 5. Facultas videndi, non tantum percipit ea, que sunt alba; sed etiam ea que sunt nigra. 6. Potentia odorandi non tantum percipit ea, que sunt suaveolentia; sed etiam ea que sunt graveolentia.*

*Negativæ cum Philosopho & nos subscribimus, eamque illustramus. 1. Dissimili: Quia facultates & scientia per contraria quidem defini possunt: sed habituum practicoꝝ longe alia est ratio. Hi enim que non versantur circa contrarias actiones: idcirco etiam unius solum generis actionibus definiuntur. v. g. à Iustitia tantum iustæ actiones proficiuntur: ideoque nec definitur habitus, per quem possumus agere iusta & iniusta; sed tantum dicitur habitus, per quem iusta agimus. 2. Simili: Quemadmodum sanitas, que est habitus corporis non simul integris & vitiosis actionibus; sed bona duntaxat corporis affectione definitur: ita etiam virtutes, à quibus contrariæ actiones non proficiuntur (neque enim vir fortis, temperans, iustus agere potest, nisi que sint fortia, temperata, iusta) non nisi unius modi actionibus sunt definiende.*

*Interim notetur ad bonorum horum habituum cognitionem multum sanè conferre cognitionem non solum subjecti illorum habituum, sed & contrariorum habituum. Habitus enim contrarius potest cognosci duobus modis, partim ex contrario habitu, partim ex subjectis. V. g. Iustitia potest cognosci ex contrario habitu, Iniustitia nimirum: Habet enim contrariam naturam ipsi Iustitie. Similiter etiam potest cognosci ex rebus subjectis, ut ex rebus iustis, in quibus versatur. Atque hanc ob causam Aristoteles & iniustitiam definit, ut ex contrario hoc suo habitu ea melius cognoscatur: quemadmodum & sanitatis definitio atque cause facile sciri possunt, quando iam constat, quid sit morbus, & que eum efficiat. Arist. 5. Nicom. c. 1. Riccob. in hunc locum p. 600. Magirus p. 427.*

### *Questio III.*

*An tolerari possit Divisio iustitiæ in universalem & particularem?*

*Iusti.*



Iustitiam dividi posse Philosophus 5. Nicom. c. 1. tali adstruit  
 fundamento: Omnia homonyma secundum plura sua significata distingui  
 possunt. Vox iustitiae est homonymon: quia iniustitiae appellatio diversa habet  
 significata. Unum autem contrarium si sit æquivocum, alterum que  
 que plerunq̄ue erit tale, secundum regulam, l. 1. topicorum traditam.  
 Dicitur autem iniustus (Ex concreto enim, quod notius, cum Philosopho ab-  
 stractum facilius investigabimus) duobus modis. 1. Generaliter, is nempe,  
 qui ἀδίκῳ μὲν ἔσται, seu leges transgreditur, qualescunq̄ illa sunt. 2. Specia-  
 liter pro eo, qui est ἀδίκος ἢ ἄλλοθεν ἢ ἄλλοθεν seu iniquus atq̄ pluri cupidus est: & aliàs  
 ἄδίκος, hoc est, inæqualis appellatur, quia uni plus, alteri minus, quam debe-  
 tur, distribuit. Ergo & iustus tot modis appellabitur (contrariorum  
 enim conjugatorum, quoad significata eadem est ratio.) nimirum universa-  
 liter & in genere is, qui νόμιμος ἔσται, hoc est legum observans: vel parti-  
 culariter is, qui est æqualis sive æquus in distributione & communicatione bo-  
 norum & tantum unicuiq̄ tribuit, quantum ei debetur. Ergo per consequens  
 ipsa etiam iustitia & iniustitia eodem modo dividi poterit: Vide Philosophū  
 l. d. c. 2. ubi dari iustitiam particularem distinctam ab universali doctè simul &  
 prolixè ostendit.

Econtra hoc fundamentum hujus divisionis carpunt isti;  
 qui omnem eruditionem, non nisi in contradictionibus sitam putant. Vociferan-  
 tur enim, tanto accuratior esse distributionem: quanto maior cum toto con-  
 sensio; inter se autem dissensio fuerit. Ram. l. 1. Dial. c. 25. Atqui  
 cum hic nulla talis dissensio, ideoq̄, neq̄, species diversas esse. Ajunt: Nihil  
 universalem differre à particulari, nisi nudo nomine. Species enim per suā  
 formam esse dicuntur, quod sunt: Quare etiam per formas suas altera ab altera  
 differt. Ajunt: Universalis iustitia obedit omnibus legibus: reddit igitur cuiq̄  
 suum. Atqui id ipsum etiam particularis facit, cuiq̄ suum reddens. Non igitur  
 sunt distinctæ partes seu species; sed una eademq̄ est iustitia tam universa-  
 lis, quam particularis. Forma siquidem utriq̄ una est: cuiq̄ suum reddere.

Pro decisione notandum, negari quidem non posse, & uni-  
 versalem & particularem justitiam suum cuique tribuere: & sic  
 æquale esse legitimum, & legitimum esse æquale: sed tamen &  
 hoc certum esse, in universali ad leges, in particulari ad æqualita-  
 tem imprimis attendi. Prudentiores non amant nimium diligentes. Con-  
 fer ea, quæ habet Keekermannus l. 1. Ethic. c. 4. Vide & Gocl. quaest.  
 Ethic. 79. p. 358.

Qua

## Quaestio IV.

An iustitia tota sit ἀγαθόν  
& δόσιον.

Affirmativa videtur esse Philosophi, qui 5. Nicom. c. 4. morales virtutes ad habentem referri, iustitiam vero ad alterum referri, expresse dicit. Subscribit huic & Cicero quando 2. de Repub. iustitiam totam se ad alienae utilitates porrigere atque explicare docet. Vide th. 17.

Pro negativa facit. 1. illud quod absurdum plane videatur, hominem in quo iustitiae habitus, tribuere alteri tantum, quod suum est, & sibi suum non tribuere. Iustitia enim adeo iusta est, ut & sibi & ei, in quo inest, non possit non esse iusta & equa. Proinde si alij prodest, multo magis habenti eam & sibi. Non ergo tantum ad alterum referenda. 2. Omnis virtus est penes habentem, possidentem, utentem. Ergo si iustitia tantum ad alterum refertur, virtus esse negabitur. 3. Qui in alios iustus est, ipse per se ut iustus sit, necessarium est: Relativum enim non uni, sed & alteri relatum esse dicitur. Et iustus à se ipso incipit esse iustus.

Pro decisione dicimus: Morales virtutes referri ad habentem: Iustitiam autem ad habentem & ad alterum. Ad alterum ἀγαθόν; ad habentem δόσιον, sicut medicus curat ex scopo alterum; ex accidenti autem & seipsum. Consule Riccobonum comment. in Eth. Nicom. p. 603. & seq. Ursin. in quaest. Illust. p. 136.

## Quaestio V.

An iniustitia universalis uni alicui subjecto  
simul & semel in esse possit?

Negamus: Quemadmodum enim iustitia universalis est tota virtus, ut supra in his sibus fuit passim expositum: ita iniustitia universalis est tota vitiositas. Atqui multiplex morale vitium est, & saepius plane contraria & hostilia inter se natura, a se ut id mutuo se perdat atque destruat. V. g. Timiditas, audaciam: avaritia, profusionem & vice versa. 4. Nicom. c. 5. Quocirca in subjectis pluribus & diversis subsistit iniustitia universalis, quia ut dictum, continentur sub ea, quae inter se sunt contraria, & simul esse non possunt. Iustitia autem universalis in uno aliquo subjecto certo suo respectu & gradu, cum  
bonum

*bonum bono nunquam sit contrarium, omnino reperiri potest. Acciaolus in lib. 5.  
Nicom. c. 1. p. 351.*

## Quaestio VI.

An jus etiam in bruta cadat?

Affirmativa Ictorum est, qui ius naturale definiunt, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud, inquit Justinianus l. 1. Instit. tit. 2. non humani generis proprium est; sed omnium animalium, quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur.

Negativa est Aristotelis, qui solis hominibus illud assignat. 1. Quia ius naturale nihil aliud est, quam iussum & decretum rectae rationis. Ergo quaecumque sunt rationis expertia, in illa ius naturale nullo modo cadere potest. 2. Icti sibi & veritati contradicunt. Dicit enim Justinianus: Ius naturale esse illud, quod recta ratio constituit. Ergo in brutis ius non habebit locum, aut ratione erunt praeclita. At qui contradictio in adiecto est, irrationale esse rationale. 3. Bruta non dicuntur facere injuriam, sed pauperiem, ut est in toto titulo: si quadrupes pauperiem fecisse dicitur: idcirco neque ius ad ea pertinere potest. Cui enim unum contrariorum non competit, ei nec alterum competere potest. 4. Quae Icti iuri naturali tribuunt, veluti sunt appetere sui conservationem. Item generare sibi simile; defendere seipsum, ea videntur magis referenda esse ad naturalem affectionem, quam ad ius ipsum.

Nos loriculam hanc ita componimus: Ius illud naturale quia est regula ratione & voluntate concipienda, proprie & primario in solo homine, qui rationum & conclusionum & regularum capax est, inest: per similitudinem autem in bestiis, & iterum per minorem quandam similitudinem omnibus rebus naturalibus: Et hoc modo Aristoteles jus naturale solis hominibus proprie & primario assignat. Econtra Icti brutis jus competere statuunt per Metonymian Effecti pro causa, utpote in quibus simulacra quaedam virtutum, pietatis nonnulla iudicia, fortitudinis, prudentiae, castitatis cognitionem & memoriam deprehendimus.

## Quaestio VII.

An jus naturale sit mutabile?

Negativam tuemur cum Philosopho, qui s. Nicom. *vel hoc  
etiam*

etiam nomine ius naturale à legitimo differre ait, quod illud semper & ubiq;  
gentium & locorum sit omnis omnino expers mutationis; hoc verò pro ratione  
locorum, temporum & circumstantiarum, subinde mutationis aliquid admittat,  
imò rebus ita ferentibus planè abrogari possit. Quemadmodum enim mensuræ  
vini & frumenti non ubiq; sunt æquales: sed ratione circumstantiarum subinde  
& passim variant, ita nec positiva iura ubiq; sunt eadem. At qui de iure naturali  
elegantissimè Melanthon. Non solum, inquit, ut lumen in oculis ma-  
net idem, donec natura hominis manet incolumis: ita notitia na-  
turalis manet eadem in mente: sed major adhuc ejus est firmitas,  
quia est radius divinæ lucis congruens cum norma divinæ mentis  
æternæ & immota, quam Deus nequaquam vult mutari. Philip-  
pus Melanthon in Epit. Philos. moralis; Et in locis comm. Vide  
supra thesin nostram 64.

Sed & pro negativa nonnullæ possunt colligi cohortes. I. Quæ  
naturalia sunt, ea sunt immutabilia, & ubiq; eandem vim habent. V.  
g. ignis non potest non urere: quia agens naturale est corpus grave, natura sua  
tendit deorsum, corpus leve sursum: & nihil omnino eorum, quæ natura sunt,  
possunt ita assuescere, ut naturam suam amittant 2. Nicom. c. 1. At qui iura  
quotidie mutantur. Ergo, & c. Ratio minoris. 1. Natura iubet ut reddamus de-  
positum: At si furiosus gladium reposcat, quem apud te sanè mentis deposuit, ini-  
quæ fecerit, si restituas. 2. Nobilissimarum etiam gentium de iisdem  
habitibus & actionibus diversæ fuerunt opiniones. V.g. Egyptij ca-  
davera humum condunt; Græci igni comburunt. Egyptiæ mulieres res  
forenses tractant; viri domum servant. Athenienses mulctant otiosos & in-  
ertes; sed Lacedæmonij artes ingenue indignas indicant. Apud Lacedæmo-  
nios furari non datur vitio; sed in furto deprehendi probrosum habetur. 3.  
Nonnullæ gentes & homines quasi omnem exuerunt humanitatē.  
Fuerunt, qui carnibus humanis victarent, quod Americorum nonnulli hodieq;  
faciunt. Lex erat apud Indos, ut filij patres senio confectos, fustibus caderent,  
& interemptos sepelirent. Apud Lydos mulieres corpora sua prostituebant an-  
te nuptias & colligebant dotem, ut seipsas elocare possent. Lacedæmonij per-  
miserant adulterium interveniente pacto cum marito, quod pugnat cum 6. præ-  
cept. decalogi. Mancipia per iocum tollebant, quæ Laniena 5. præc. adversatur.  
Exponebant infantes, si qui deformes, aut debiles essent, quæ ἄσοςγία etiam  
magna ἄνομια est. Et in historia Xanthiorum mater suspendit se de tecto  
gerens suspensum filium de collo, & tenens facem, quæ ades inflammavit.  
II. Si notitiæ discernentes iusta & non iusta natura mentibus  
hominum insitæ essent, non minus certæ essent sententiæ præcipi-  
entes

entes honesta & prohibentes contraria, quàm certè est in animis  
nostris numerorum distinctio. Atqui experimur in nobis ipsis & alijs, fir-  
mius statuere mentem de numeris quàm de actionibus & suscipiendis, aut  
vitandis. Ergò.

III. Exinde etiam Carneades, Pyrrho & Cynicorum alij nega-  
bant ullum jus *τῆ φύσεως* naturæ; sed *τῆ νόμου καὶ ἠθῆς* opinione, le-  
ge & consuetudine sancitum esse. i. Nicom. c. 3.

Pro decisione ergo notandum. i. Naturalia jura licet per se  
quidem & quoad genus universum sint immutabilia; tamen ratio-  
ne singularium circumstantiarum posse admittere aliquid mutati-  
onis. Arist. l. d. V. g. *Ius nature iubet parentibus esse obtemperandum: & id  
semper verum est, nec unquam mutatur: in singulari tamen casu potest aliquid  
mutationis admittere: veluti si parens iubeat filium agnitam veritatem abne-  
gare, patriam prodere. In his enim non tenetur filius patri obedire, & tamen non  
mutatur illud ius nature, parentibus esse obtemperandum.*

II. De hac Apostasia à jure naturæ tenendum. i. Quod sit pau-  
culorum. Ita enim ea, quæ etiam totius speciei sunt, non raro quibusdam in  
singularibus deficiunt, ut videndi, audiendi, loquendi, generandi facultas. 2.  
Quod sit eorum qui sunt sceleratissimi & proximi naturæ beluarum.  
3. Quod sint gradus principiorum practitorum & conclusionum in-  
de deductarum; & quod mutatio ista accidat non in principijs com-  
munibus, sed in conclusionibus inde deductis, quæ ad specialiorè  
descendunt, & varijs implicantur circumstantijs. 4. Quod sint nõ  
tam mentis, quàm partis appetentis, quæ in hac corrupta natura ra-  
tionem non modò deserit, sed & sæpius eam secum adversam rapit.  
5. Quod sit à natura hominis corrupta, à furoribus Diabolorum, à  
consuetudine vitiosa: quæ omnia ipsi naturæ vim afferre possunt.

His ita decisionis loco præsuppositis ad argumenta pro senten-  
tia negante adducta per facile est respondere: & quidem ad primũ  
major non est universalis & Catholicæ veritatis, ut ipse Philosophus l.  
d. prolixè explicat. Ad rationes minoris respondetur. i. Esse gradus  
principiorum & conclusionum moralium, sicut etiam in Physicis gra-  
dus sunt & corriguntur inferiores gradus à superioribus. v. g. regulare est aquam  
fluere deorsum; sed tamen aliquando sursum tendit, ut vacuum excludat. Cedit  
ergo principium inferius superiori. Inferius est, grave tendit deorsum: superius  
est, necesse est, esse contigua mundi corpora. Sic regulare est, depositum reddendum esse,  
sed si furiosus gladium reposcat, superior lex regat deliberationem: Neminè ledito,

Ad 2. & 3. rationem minoris patet solutio ex ipsa decisione, & præ-  
terea apud hosce à jure naturæ apostatas semper in intellectu mansit

D

discri-

discrimen honestorum & turpium, dicitans ea, quæ legi naturæ essent contraria, sed voluntas contra iudicium mentis eligit ea, quæ suaviter corruptam naturam afficiunt, iudicio rationis planè neglecto: imò ipsi legislatores Lacedæmoniorum contra iudiciū mentis permiserunt quædam flagitia, quæ profus tollere nequiverunt.

Ad alterum argumentum sciendum est parem omninò esse certitudinem tam speculabilium quàm practicorum principiorum. *Tam enim oportuit assentiri his propositionibus: Deus est timendus: adulterium est vitandum; quàm huic; bis quatuor sunt octo.* Fit autem per accidens, quod in tantâ naturæ humanæ depravatione principijs practicis minus firmiter assentimur, quia errantes affectus languesciunt assensionem & impediunt iudicium, ut languidius statuatur, quod rectum & iustum est. Per se verò non minus certæ sunt notitiæ practicæ quàm speculabiles. *Vtrumq; enim genus principiorum est lux divinitus insit a mentibus. Et dato opposito sequitur naturæ destructio.*

Ad tertium dicimus honestatem & iustitiam à rebus ipsis, ut in natura sunt, non verò à legibus & doctrinis ortum habere. 1. *Quia legitur, Gen. I. vers. ult. quod omnia quæcunq; Deus creârat, fuerint valde bona. Ergò sua natura erant bona.* 2. *Propter hominum opinionem ea, quæ sua natura revera sunt bona & iusta, non talia esse desinunt, quod aliquibus non talia esse videantur. Bene enim Cic. I. offic. Honestum ait, etiamsi à nullo laudetur: tamen sua natura est laudabile. Et I. de legibus inquit: Non solum ius & iniuria; sed etiam omnia honesta & turpia à natura dijudicantur. Et rursum: ius non opinione sed natura constitutum est. Phil. Melanth. in loc. comm. de lege naturæ. Item in Epit. Phil. mor. Chemnitius part. 2. loc. Theolog. p. 261. Selnec. part. I. pædag. p. 10. Martyr. Commen. in Eth. Nicom. p. 43. Gocl. quæst. Eth. 45. 72. & 74.*

### Questio VIII.

An jura divina sint mutabilia: & quomodo decalogus sit explicatio legis naturæ?

Quoad primum jura divina non nihil mutationis sæpius admisisse, forsan ex hisce ostendi poterat. 1. *Leges ceremoniales & forenses, quæ in populo Iudaico obtinebant, apud Christianos abrogatæ sunt.* 2. *τολυγαμία & divortium apud nos sublatæ sunt, cum olim licuerint.* 3. *Inmutabilitati Decalogi repugnat. 1. Abrogatio Sabbathi. 2. factum illud Hebræorum spoliantium Aegyptios, Exod. 12.*

Verum

Verum in negantem sententiam hic merito concedimus: & *ius naturale sic divinum quoad moralia, plane imitabile esse, dicimus. Quicquid enim sacrae literae de iusto honesto & de moribus praescribunt, ea nullibi & nusquam variant; sed apud omnes omnino gentes & nationes, quae quidem Christo nomē dederunt, eadē sunt, perpetuae sunt. Nos enim in Catholica Ecclesia de honestis iustis & bonis sententias dicimus non ex hominum opinionibus; sed unicum illud Dei verbum, quod ut certissima est regula, ita & in solidum nobis summum est κριτήριον.* Proinde rationibus pro negante sententia allatis dicimus.

I. Quaestionem hic nobis esse, non de jure ceremoniali aut forensi, sed de morali.

II. Quoad *πολυγαμίαν* & divortium, vel ad civilia decreta illius aetatis referenda esse, & ideō mutari potuerunt: vel si moralia esse contenderis improbari possunt certis rationibus. Polygamia enim cuius primum authorem Lamechum fuisse ostendit Moyses Gen. 4 v. 19. ea 1. propter charitatem merito exploditur, quae non potest aequabiliter retineri inter plures uxores. 2. Pugnare eam cum primo vo ipsius Dei instituto, Christus nos edocuit Matth. 19. 3. Et quanquam Deus in populo suo polygamiam certis de causis toleravit: non tamen potest a scripturis demonstrari, quod etiam mandaverit. 4. Sancti enim patres V. T. Abrahamus, Jacobus, David & alij, licet peccatis prorsus non caruerint: interim tamen quia Deum sincere colebant, tales navi, qui in publicum morem iam abierant & scandalo carebant, per fidem in ipsis tegebantur. Quod enim mos erat, crimen non erat, adeo ut hoc Polygamiae usu sancti patres conscientiam suam non polluerint: unde etiam per nullum unquam Prophetam Polygamia reprehensa fuisse legitur. Permisit autem Deus in veteri T. Polygamiam, 1. Quia subserviebat complemento divinae promissionis de multiplicanda posteritate, instar arenae maris & stellarum caeli. 2. Tam firmus egerat radices, ut difficulter eradicari aut extirpari, praesertim in populo Israelitico posset. D Hunnius in comm. in c. 19. Matth. p. 37.

Divortia cum ijs etiam levi de causa rescissa sit ea coniunctio, quam Deus instituerat, ut esset arctissima, fuerant quidem in V. T. natura à recto & honesto nonnihil diversa; sed tamen ex Dei concessione legitima. In hoc enim Deum rationem habuisse durissimae pertinaciae Iudaeorum Christus attestatur, Matth. 19. v. 18. Proinde haec privilegia & exempla non sunt ad imitationem trahenda; sed debemus retinere illud primum rectum & honestum, quod sacrae literae statuunt: praesertim cum Christus ipse & Apostoli ad id nos revocarint. Moyses, inquit Christus, ad duritiam cordis vestri (*πρός τὴν σκληροκαρδίαν ἡμῶν*) permisit vobis repudiare uxores: ceterum ab initio sic non fuisse. Martyr. Comm. in Eth. Nicom. p. 43.

**III.** Sabbathum fuit partim ceremoniale, partim morale. Ceremoniale propter septimi diei præceptum; Morale verò quatenus oportebat certum esse diem, quo sacri conventus agantur, in quibus doceatur verbum Dei, & sacramenta administrantur. Morale hoc est perpetuum & immutabile: Ceremoniale est abrogatum iuxta illud Apostoli Col. 2. v. 16. Nemo vos iudices in cibo & potu aut in parte diei festi, aut neomenia, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum.

**IV.** Hebræi spoliantes Ægyptios non rapuerunt bona aliena contra præceptum de non furando; sed obedierunt mandato Dei, qui est proprietarius honorum omnium, habens dominium directum cæli & terræ, rerumque, quæ illis continentur. Et hic notanda regula: secunda tabula Decalogi cedit primæ.

Ad alterum quæstionis membrum dicimus Decalogum esse quidem explicationem legis naturæ; sed naturæ integræ, & non peccato corruptæ & vitiatæ. Iam enim in statu corruptionis dictamen rectæ rationis natura homini insitum non est perfecta lex naturæ: Sed eius particula: & *νομοὶ ἐννοεῖται* sunt potius rudera imaginis divinæ, quàm ipsa plena & perfecta Dei imago. Mentzerus Tom. 4, disp. Marp. disp. 8. th. 4.

### Quæstio IX.

An leges ceremoniales & forenses Iudæorum facta jam abrogatione per se sint malæ & vitiosæ, an verò per se indifferentes?

Affirmativam acriter defendit Hieronymus contra Augustinum, adeoque multum disputat Ceremonias Iudæorum & perniciosas & mortiferas esse Christianis, ut quicumque eas observarit, sive in Iudæis, sive in gentibus in fuerit, semetipsum in baratrum Diaboli præcipitem agat. Quin addit: Observare legis ceremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum aut malum. Citatur etiam ex Epistola Ignatij ad Philippenses: Quicumque cum Iudæis pascha egerit, participabit eis, qui Dominum & Apostolos eius occiderunt.

Pro determinatione hujus quæstionis dicimus observationem harum legum si liberè fiat, jam facta abrogatione esse indifferentem, hæc tamen lege. i. Iudæi qui enutriti sunt suis ceremonijs, eas retineant sine opinione cultus aut necessitatis. gentibus verò non imponantur. 1. Cor. 7. v. 18. 2. Ex judicialibus possunt liberè sumi, quæ nostris politijs conveniunt. Paulus enim cum de politijs loquitur, inquit: Non est Iudæus, non Græcus. Et bene inquit Matth. Hassenrefferus l. 3. Loc. Theol. p. 471. Si Magistratus aliquas forenses leges, utpote de pena furti, adulterij stupri &c. revocare vellet, id non tantum liberum, sed maximo cum applausu bonæ conscientia, quæ ista divina



vina ordinatione iucundissime quiescit, coniunctum esset. 3. Ex ceremonialibus quæ fuerunt umbræ & figuræ venturi Christi. Quia adventu Christi sunt impletæ, non possunt observari, nisi velimus cum Iudæis negare Christum venisse. Hebr. 10. v. 18. 4. Reliqua ceremonialia, quæ fuerunt pædagogia, ut de festis, cibis, &c. Apostoli dicunt esse indifferentia, si non accedat opinio cultus, necessitatis & iustitiæ: ita tamen ut cum credentes adoleverint in agnitione Christi, non convertantur ad infirma & egena elementa mundi. Gal. 4. v. 9. Col. 2. v. 20. Rectè ergò Lutherus in c. 2. ad Gal. Ego, inquit, credo, Si Iudæi credentes legem & circumcissionem observassent eam conditione, quæ Apostoli permittebant, quod adhuc staret Iudaismus; quodque totus mundus Iudæorum ceremonias recepisset. Quia vero urgebant legem & circumcissionem ad salutem necessariam, & fingebant ex ea cultum, hoc Deus ferre non potuit, ideoque evertit templum, legem, cultum, Hierusalem. Chemn. part 2. locor. Theol. pag. 46.

### Quæstio X.

An Christianis Ethnicorum legibus uti liceat?

Stamus hic pro affirmativa, asserimusque ius illud civile neque iuri divino, neque iuri naturali simpliciter repugnare, ubi nempe rectè fuerit constitutum: sed potius esse conclusionem ex eo deductam & quasi quandam determinationem, quæ quod ius naturæ in genere dicit, id per species explicat & ad varios vitæ humanæ usus & factorum themata accommodat, ut utilitas salusque publica postulat. Interim tamen si quid fortè deprehensum fuerit in huius vel illius legibus, quod vel regule salutis, vel iuri naturali contrarium videbitur, tunc audienda vox ista Evangelij: Deo magis obedire oportet, quam hominibus. Et danda opera est magnis: sed non cum vulnere mentis. Et pro hac nostrâ sententia hisce telis depugnamus. 1. Quia mandatis principum pietati & honestati consentaneis obediendum est. Jos. c. 23. v. 12. At talia sunt mandata principum & responsa Ictorum corpori iuris inserta. 2. Quia Evangelium non abolet politias, Matt. 22. v. 21. Marci 12. v. 17. Luc. 20. v. 25. 3. Ipse D. Apostolus Paulus ad Cæsarem appellat, Act. 21. v. 3. 4. Ecclesia ubi quondam viveret sub Monarchis, qui à vera religione longè alienissimi erant, ut Babylonicis, Persicis, Græcis: nihilominus tamen Propheta Jeremias scribit exultantibus in Babylone, ut pro rege Babylonico precarentur: id quod etiam Paulus præcipit ad Tim. c. 4. 5. Neque urimur iis legibus ut Ethnicis, sed propter approbationem & auctoritatem Imperatorum Christianorum ut nostris.

Obijci tamen hic potest. 1. Plerorumque Ictorum in Deum verum impietas & summa Imp. nonnullorum in Christianos severitas.

II. Ro-

I. Repugnantia juris civilis cum jure naturali: que uno vel altero exemplo ostendi potest. 1. Usucapio & præscriptio sunt modi acquirendi res à legibus approbati: & locupletant præscribentem, cum iactura eius adversus quem præscribitur. At qui locupletari cum alterius iactura pugnat cum lege natura. E. 2. Libertas est iuris natura. Ergo servitutes sunt iuri natura contrarie. Atqui servitus est iuris civilis, 3. Pugnantia legum civilium in jure ipso quam L. Valla, Budæus & alij notant. Verum in promptu est, ad singula hæc, quod commodè responderi possit. 1. Cum Imperatores etiam severissime in Christianos deservirent: nullus tamen unquam repertus fuit, qui vocem hanc Christi: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, Matth. 22. non exactè & ad amussim sequendam præceperit, & pro Imperatorum salute ac vita orandum monuerit. Tertull. in Apolog. c. 39.

Præterealicer purioris doctrinae aura Impiis istis non affulserit: nihil quicquam tamen impedimento est, quo minus in vita communi, & politica eam præstiterit prudentiam, quæ tranquillitatis popularis conservanda ergo hominum in societate requiritur.

II. Locupletari cum alterius iactura tam demum adversatur legi natura, cum hoc sit sine legitima ratione & sine evidenti causa iactura seu damni. At in præscriptione & usucapione talis causa est: nempe cum negligentia privata, tum Bonum Reipubl. Primum igitur negligentia eius, qui patitur sibi præscribi à legibus punitur. Deinde hic modus acquirendi rerum dominia introductus est propter bonum publicum, ut inquit Ictus, ne rerum dominia diu aut semper incerta essent, & ut finis esset litium. Loquimur autem de usucapione iusta, id est tali, in qua sunt omnia ad eam requisita: de quibus consulantur. Iuris interpretes ad Tit. 2. L. 2. Inst. Istiusmodi præscriptionis exemplum sacra pagina nobis exhibet in Jephtha Iud. 11. v. 13. de quo vide Petrum Martyrem classe 1. loc. comm. c. 10. p. 62.

III. Dominatus & servitus non sunt adversa; sed relatæ: quæ cum natura simul sunt (posito enim relato, non potest, non poni correlatū) sanè si à natura repetenda est causa Dominatus, diversum de servitute statui non debet. Videatur Arist. l. 1. polit. c. 3. & 4. Gocl. quæst. Ethic. 72. 73. 74. 75.

IV. Nunquam simpliciter concesserint Icti dari aliquam suarum legum pugnam aut ullum locum contrarium, quorum uterq; pro iure observetur: quibus potius unus ex ijs expressè reprobetur, si quis collidere (quod sæpè fit) inter se videantur. Videatur Philip. Mel. Tom.

1. declam. p. 242.

FINIS.

Fc 1249.  
gn


ULB Halle 3  
003 422 747



Bitte noch kein  
Sammelbd. verwenden  
nach Ausleihe  
an Retro-Ecke  
OK  
Zurück!

VD 17







Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13  
B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

3  
RATIO XII.  
NVM ETHICARVM  
STIA ET  
RE.  
orum Nicomachio.  
sumpta  
am.  
HENRICH  
RE ET DOCENTE  
emia VVitebergensi  
RESIDE  
STENIO PHILOSO-  
fore Publico defenden-  
suscipiet  
ZANGERS  
ergensis,  
ris locoq, consuetis.  
Metamotph.  
go cade madentes  
Astrea reliquit.  
BERGAE,  
ianis Anno 1607.